

6. Secundùm hanc vitæ mortisque significationem si quæstio de animæ immortalitate intelligatur, talis erit: an anima perpetuò agat. Ad quam respondeamus affirmando, quia nunquam sine omni cogitatione, hoc est, intellectione, volitione, perceptione, judicio &c. esse potest, quo sensu Veteres dixerunt, eam semper moveri. Et quia vir sapiens hanc vitam intellectualē maximē amat atque exercet, ideo Ciceronem fallor V. Tuscul. Quæst. ita scribit: *Loquitur autem de docto homine & erudito, cui vivere est cogitare*, quatenus nempe vitam animalem & corpoream divinarum rerum contemplationi longissimē postponit.

7. Probatur nostra responsio hunc ad modum: si anima nostra sine omni cogitatione ullo tempore esset, tum eo ipso nihil omnino esset. Nam sublatâ essentiâ tollitur ens: essentia autem ejus est, quod sit res cogitans. Atqui animam nostram non redigi in nihilum ostensum fuit Exercitatione præcedente. Ergo eo argumento, quo probatur, animam semper existere, etiam probatur eam semper cogitare.

8. Ob-